



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 171. An in Polygamia dispensârit Deus, & qualiter, si Jure Naturæ illicita, dispensare potuerit, & quando hæc dispensatio cessaverit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

TITULUS IV.

De Sponfa duorum.

Quaest. 169. An & quae pluralitas obstat Sponsalibus tam de futuro, quam de praesente seu matrimonio.

R Esp. primò : Sponsalia de futuro celebrari cum pluribus pro eodem tempore simul subsistentia, seu haberi simul plures Sponfos aut Sponfas de futuro non posse, vel ex eo patet, quòd cum pluribus Sponsalia de praesente seu matrimonium, ubi per Sponsalia de futuro promittitur singulis, celebrari nequeant; quare vel Sponsalia prius contracta per posteriora dissolvi (quod quando & qualiter fiat, vide *quaest. praeced. 60.*) vel posteriora nulla esse necesse est.

2. Resp. secundò : Unitati matrimonii non obstat, quod dissoluto prioris matrimonii per mortem vinculo, alter seu superstes aliud ineat; quia & hoc est contractus unius cum una, verumque de eo dicitur *Genes. 2. erunt duo in carne una*. Bellarm. *l. 3. de mat. c. 9.* Sanch. *l. 7. d. 81.* Castrop. *d. 3. p. 1. num. 1.* cum communi; licetumque fuisse semper tam in lege veteri quam nova procedere hac ratione ad secundum, tertium, quantum ac sic deinceps matrimonium, constat ex omnium gentium consuetudine, & ex illo *1. ad Cor. 7. mulier alligata est legi, quamdiu tempore vir eius vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, & cui vult, nubat.*

3. Resp. tertio : Solùm igitur unitati matrimonii obstat polygamia, hoc est, dum vir unus simul habet plures uxores, vel una mulier plures viros.

Quaest. 170. Polygamia quo jure sit prohibita.

R Esp. primò : Polygamiam seu unum virum habere simul plures uxores à lege divina prohibitum esse, est de fide definitum in Trident. *sess. 24. c. 2.* ubi : *si quis dixerit, licere Christianis simul habere plures uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit.* Ac ita Christus *Matth. 19.* decidit, adulterum esse, qui dimissa prima uxore aliam duxerit; sed non esset adulter, si una uxore vivente, & non soluto matrimonio cum illa posset ducere plures uxores. Porro hæc lex divina promulgata *Genes. 2. eorum duo in carne una* (dum enim vir unus habet uxores plures eodem tempore, jam non sunt duo, sed potius unus in plures carnes dividitur, ut Innoc. III. *in c. gaudemus, de divorc.*) statim ab initio mundi obligavit, ut constat ex illis Christi. *l. c. ab initio autem non fuit sic.* Unde jam etiam Papa in polygamia ex nulla causa dispensare potest; cum potestas illa ei à Christo concessa non sit, nec ulla hujus concessionis congruentia appareat, ut inquit Castrop. *l. c. v. 5.*

2. Resp. Tamen sint, qui cum Abulens, *1. Reg. c. 8. q. 25.* Durand. *in 3. dist. 33. q. 1.* R. P. *Leur. Jur. Can. Tomus IV.*

Cajet. *c. 16. in Genes.* (quibus Castrop. *num. 4.* ait favere S. August. *l. 16. de civit. Dei c. 38.*) lege divinâ solùm positiva, non naturali prohiberi pluralitatem uxorum, communior tamen, quam sequuntur Sanch. *l. 7. d. 80. à num. 12.* Bellarm. *l. 1. de mat. c. 11.* Pont. *l. 7. c. 46. à num. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. q. 2.* Gutt. *de mat. c. 106. num. 3.* Castrop. *cit. n. 4.* habet, prohiberi eam etiam lege naturali; eò quòd gravissima inde mala oriuntur; siquidem pluralitas uxorum fovet libidinem, prolis generationem minuit, concupiscentiæ uxoris non satis consulit; cum vir divitus in plures alias non sit satis potens reddere singulis debitum. Rixas & discordias inter uxores excitat, æqualitatem contractus matrimonialis tollit, dum quælibet uxor se integrè tradit viro, secus vir; cum in plures dividatur.

Quaest. 171. An in polygamia dispensavit Deus, & qualiter, si jure naturale illicita, dispensare potuerit, & quando hæc dispensatio cessaverit.

R Esp. ad primum : Dispensavit Deus in hac lege cum populo Israelitico, ut supponitur *Deuteron. 31.* & colligitur ab exemplo Isaac, Jacobi, Davidis aliorumque sanctissimorum Patriarcharum, qui plures habuerunt uxores, quod utique non fecissent, si fuisset contra legem divinam, ut D. Hieron. *in epist. ad Ocean. & S. August. l. 3. de doctrin. Christ. c. 12.* Non verò dispensavit in hoc Deus cum gentilibus; sed hi, quia licitum sibi esse credebant exemplo populi Israelitici plures quoque accipiebant, ut colligitur *ex c. 26. & 28. Gen.* & notavit S. Aug. *l. 16. de civit. Dei, c. 38.* Castrop. *l. c. num. 3.* Sanch. *d. 80. num. 11.* Porro ex his uxoribus quædam dicebantur concubinæ, non quia uxores non erant; sed quia tantùm ad prolis generationem assumptæ; illa verò uxor dicebatur, quæ & insuper assumpta ad familiæ gubernationem tanquam mater familiæ; sed neque earum filii hæredes paternorum bonorum esse poterant, manebantque ancillæ etiam post nuptias, admittæ tamen in legitimam tori societatem. Laym. *l. c. num. 8.* Pirh. *de Spons. & matrim. n. 129.* Menoch. *in c. 25. Gen. v. 6.*

2. Resp. ad secundum : Potuit autem in hac lege naturali dispensare Deus ob finem honestissimum, nimirum ob favorem populi Israelitici, ut is, qui exiguus erat, multiplicaretur, & de quo ipse nasciturus; quia dum penes ipsum est dominium corporum nostrorum, potuit usum illorum in matrimonium hoc vel illo modo concedere; adeoque postquam semel concessit potestatem illorum in ordine ad generationem non nisi medio conjugio unius cum una ob dicta incommoda, poterat nihilominus dein permittere, ut vir se dimidiatè cuilibet uxori trade-

traderet, uxore qualibet integrè se tradente viro; non enim juri naturali repugnat, ob aliquem finem honestum pericula aliquorum damnorum permittere, sicut permittere potest innocentis occisionem, bonorum alienorum acceptionem; ita ferè Pont. Sanch. Laym. *LL. cit. Castrop. cit. num. 4.* sed neque polygamia ita juri naturæ repugnat, ut nullo casu cohonestari & licita fieri possit, sicut blasphemia, perjurium, mendacium; sive polygamia, non est ex proprio objecto suo intrinsecè mala, sed solum ex adjunctis ordinariè incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel aliis mediis compensari possunt, Pirh. *l. c. citaris Sanch. ubi ante num. 8. Laym. num. 7. Covar. in epito. l. 4. p. 2. c. 7. §. 3. num. 1.* Unde jam inferitur, quòd tamen matrimonium unius mulieris cum pluribus viris fortè plura post se trahat incommoda, & repugnet primario fini matrimonii, qui est generatio proles, utpote quæ incerta erit, & ex commixtione plurium vitorum impeditur, ut vel nunquam vel rarius subsequatur; item fini secundario, nimirum tranquillæ cohabitationi & paci conjugum; ubi enim multa

capita sunt unius corporis, nempe multi viri in familia, ibi innumera rixæ; propter quod & nunquam permillum in antiqua lege fuit tale conjugium unius famina cum pluribus maritis, Sanch. *l. c. num. 4.* &c. Nihilominus & Deum ex fine honesto ipsi noto dispensare quodque potuisse in tali polygamia unius famina cum pluribus viris Sanch. Laym. Pont. Castrop. *LL. cit.*

3. Resp. tertid: Certum esse dictam dispensationem seu concessionem plurium uxorum cessare à lege Evangelica, ut constar ex illo *Matth. 5. & 19.* ubi Christus matrimonium reduxit, ad primam sui institutionem. Castrop. *num. 5. juxta c. gaudemus, de divortiiis & Trid. sess. 24. c. 2.* Unde & infideles ad fidem conversi cogendi sunt, ut solum primam uxorem retineant aliis dimissis. Pirh. *l. c. num. 130.* Porro nulla deinceps consuetudine effici potest polygamia licita; quia nulla consuetudo juri divino & naturali derogare potest, Sanch. *cit. d. 8. num. 14. Pirh.*

l. c.

TITULUS V.

De conditionibus appositis in desponsatione aliisque contractibus.

Quest. 172. An & qualiter subsistat matrimonium contractum sub conditione honesta de præterito, præsentente & futuro.

1. **R**esp. ad primum: Matrimonium celebratum sub conditione de præsentente vel præterito non suspenditur, sed actu contrahitur, vel non contrahitur, prout conditio existit vel non existit, conditio siquidem si præsentis est vel præterita, contractum non suspendit, sed purum relinquit; unde & talis contractus non est propriè conditionalis; cum natura conditionis sit suspendere actum, usque ad eventum illius. *Inst. de V. O. §. sub conditione.* Sed neque ut tale matrimonium actu valeat, non requiritur, ut conditionis existentia contrahentibus sit nota. Sanch. *l. 5. d. 7. Gasp. Hurt. d. 7. diff. 2. Castrop. p. II. §. I. num. 3. contra Cönnick, d. 29. du. I. num. 6.* Tamen enim nota non sit conditionis existentia aut præteritio, est tamen notus utrique consensus sub conditionis existentia aut præteritione, non sub conditionis notitia. Neque etiam consentiunt in matrimonium sub conditione nobilitatis, V. G. vel virginitatis notæ, sed sub conditione nobilitatis existentis, adeoque consensus utrique notus est, si nobilitas existat. Hoc verum est, quamdiu existentia conditionis nota non est, tamdiu non constare, an actu sit matrimonium. Sed nec prius consummari posse, & si prius habita copula tempore non existentis conditionis, matrimonium manere actu nullum & exinde non evadere actu validum.

2. Resp. ad secundum primò: Nullibi prohibitum (adeoque licitum juxta illud *gl. in c.*

inter corporalia, de translat. Epif. v. non invenitur; concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur) contrahere matrimonium sub conditione non secus de futuro ac de præsentente ac præterito ignoto; ob plurima tamen incommoda consultum non esse contrahere matrimonium sub conditione de futuro nisi specialis urgeat causa aut necessitas, ut cum aliis Gobath. *tr. 9. num. 138.* suadens etiam parochis, ne tali matrimonio assistant.

3. Resp. ad secundum secundò: Matrimonium celebratum sub conditione honesta necessario furura, ac ut tali ab utroque contrahentium cognita non suspenditur à conditionis eventum: eò quòd talis conditio non tam ad suspendendum consentum, quàm ad ejus certitudinem demonstrandam apposita censi debet, ita ut sensus verborum sit; sicut certum est, hoc vel illud futurum, ita certum esse volo, me te accipere in uxorem. Sanch. *l. 5. d. 2. num. 6. Rebell. p. 2. de obligat. just. l. 2. q. 10. num. 13. Castrop. l. c. §. 2. num. 2.* Idemque esse de conditione contingente, infallibiliter tamen futura. V. G. si Antichristus venerit, docent, Sanch. *l. c. Castrop. l. c. Rebell. l. c. num. 14. contra Pont. l. 3. c. 1. num. 13. Henriq. l. 11. de mat. c. 12. num. 4.* &c. putantes suspendi consentum usque ad conditionis adventum propter incertitudinem, quo die eventura. V. G. quo die venturus sit Antichristus; verum non contrahitur sub hac incertitudine; cum non dicas te ducere Mariam, si intra tale tempus Antichristus nascatur; sed simpliciter; si Antichristus nascatur; quod certum est & infallibile, & sic cognitum.

4. Resp.